



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ærumnæ D. N. Jesu Christi

Thomé <de Jesus>

Monachii, 1676

Ad sacros pedes Christi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45834](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45834)

affigi : imò assecurat confidentiam , quam habere debemus in ipsa. Confige cum ea , Domine , hanc miserabilem carnem , & flaccidam terram , tam timidam aliquid patiendi pro te , & tam animosam ad malum , ac debilem ad tua obsequia. Affige illam , Domine , cruci timore tuo : freno constringe ejus appetitus ac desideria : consume in ea legem contrariam spiritui & amoru tuo : mortifica in ea gustus adversos cruci. In te , ac pro te vivat semper spiritus crucifixus , ut tota ejus malitia , mollities & miseria consumatur.

AD SACROS PEDES CHRISTI.

Pedes Crucifixi nos usam docent veritatis.

ADoro vos , ô sanctissimi pedes , fatigati multis itineribus pro me factis , qui portastis Dominum usque ad crucem , in qua propter me suffigimini. Corrige , Domine , errores , ac distorta itinera , quæ hætenus feci : duc me per viam veritatis & legis , quam docuisti. Cum his pedibus affige devios gressus meos , ut mihi condonentur. Confige simul desideria & affectus animæ , ne seducantur per vanitates & peccata , sed sequantur semper vestigia pedum tuorum. Virtus hujus sanctissimi sanguinis decurrat per corpus meum & animam , ut me sanctificet ac purificet , muret ac totum transformet in te. Exalta me simul tecum affixum in ista cruce , mi bone Jesu , nec sinas me develli ab ea , donec in me perficias , quæ in ea me docuisti ; ut mortificatus , & plenus amore tui faciam semper tuam voluntatem.

O Mater Dei sacratissima ! per illos dolores , qui penetrarunt cor tuum , quando audivisti ictus malleorum , quibus affigebantur manus ac pedes Unigeniti tui : impetra mihi ab eo , ut sim ei socius in cruce , nec ab eo unquam sejungar. O Curia cælestis , opus & factura plagarum istarum , adjuva hunc peccatorem , & impetra mihi à Domino , ut solum his vulneribus , & in eis vivam super terram , cum per ea tu regnes in cælo. Et quia gaudes fructibus horum sacratissimorum pedum , & manuum affixarum cruci , fac , ne illis caream , sed merito eorum obtineam societatem tuam , ad quam fui creatus. Amen.

EXER.